Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

IIII

supplicium. & patria domus mira infelicitas. Et quicquid
cum illo communicaueram sine illo in cruciatum inmanem
uerterat. Expetebant eum undique oculi mei & non dabatur.
& oderam omnia quod non haberent eum. nec mihi iam dicere pote
rant ecce iam ueniet. sicut cum uiueret quando absens erat.
Et factus eram ipse mihi magna questio. & interrogabam ani
mam meam quare tristis esset & quare conturbaret me ual
de. & nichil nouerat respondere mihi. Et si dicebam spera in dominum
iusto non obtemperabat. quia uerior erat & me
lior homo quem carissimum amiserat quam fantasma in quod
sperare uidebatur. Solus fletus erat dulcis mihi. & successerat
amico meo in deliciis animi mei. Et nunc iam domine illa
transierunt. & tempore lenitum est uulnus meum. Possum ne
audire abs te qui ueritas es & admouere aurem cordis mei
ori tuo. ut dicas mihi cur fletus dulcis sit miseris. An tu
quamuis ubique assis longe abiecisti a te miseriam nostram.
& tu in te manes nos autem in experimentis uoluimur. & tamen nisi
ad aures tuas ploraremus nichil residui de spe nostra fieret.
Unde ergo suauis fructus de amaritudine uite carpitur. geme
re & flere & suspirare & conqueri. An hoc ibi dulce est
quod speramus exaudire te. Recte istuc in precibus. quia desi
derium putiuendi habent. numquid in dolore amisse rei
& luctu quo tunc operiebar. Neque enim sperabam reuiuiscere
illum aut hoc petebam lacrimis. sed tantum dolebam & flebam.
Miser enim eram. & amiseram gaudium meum. An & fletus res
amara est. & pre fastidio rerum quibus prius fruebamur & tunc
dum abhorrescimus ab eis delectat. Quid autem ista loquor.
Non enim tempus querendi nunc est. sed confitendi tibi. Miser eram.
& miser est omnis animus uinctus amicitia rerum mortalium.